

superioribus forte editionibus Dresigianis vterentur: qui, et tirones, quam vtile sit, si eadem exempla sequantur in legendis et enarrandis scriptoribus antiquis, expertus scio. Deinde excerpti lectiones varias, cum e Codicibus calamo scriptis, quos ante laudaui, turn ex editis libris, etiam ex Corpore Paroemiarum Apostolii ²⁷, vt appareret, vnde lectio textus quaeque venisset: ostendique fere, quid mihi de quaque videretur. Multas praeterea virorum doctorum coniecturas collegi, et sententiam de iis modeste, et fere ita, dixi, vt lectionem vulgatam non solicitandam esse docerem. Sed quemadmodum haec, magistrorum caussa, adiecta sunt: ita, vt tironum, vel imbecillitati, vel inopiae, consuleretur, confici Indicem, in quo, non solum ea essent expedita, in quibus haerere imperiti possent, sed omnia etiam vocabula, omnes formulae, continerentur, vt omnes, etiam ignarissimi Graecarum litterarum, possent libellum, sine maiorum Lexicorum ope, legere. Pertinet autem Index ille tantum ad Capita quadraginta et sex priora. reliqua enim cum Galeo, et Isaaco Casaubono ²⁸, putabamus ab alio potius quouis, quam a Palaephato, profecta esse.

Neque vero dubito, quin tu sis, Frater carissime, operam
hanc et laborem meum tua sententia vltro probaturus, non
modo propterea, quia delectaris hoc litterarum genere, quum
scias, viam muniri aditumque ad arcem verae doctrinae sci-
entia Graeci sermonis, sed etiam ea de causa, quoniam volui
hunc libellum extare monumentum, quo memoria pietatis
nostrae amorisque fraterni posteris quoque proderetur. Ego
enim nunquam desistam te amare ac colere, quoad viuam,
deumque rogare, vt te maximis omnis generis bonis com-
modisque cumulet atque adaugeat, vitaque uti quam longif-
sima iubeat. Vale, venerandumque Parentem nostrum ver-
bis meis etiam atque etiam saluta. Scripsi Lipsiae Kalendis
Sextilibus A. C. cic cic cclx

L. B.

27. Vid. Andreae Schotti Prouerbiis p. 172.
epistola Graeca ad Pe. Pantinum, praemissa Diogeniani
28. Vid. fab. 47

28. Vid. fab. 47. not. *